

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE PLEURIT-
TIDE.

Quam

Auspice & Præside Deo Triuno
Ex Autoritate & Decreto, Amplissimi & Nobilissimi Senatus Medici in florentissima JENENSI ad Salam Academia,

SUB PRÆSIDIO

Viri Excellentissimi & Experientissimi,

Dn. EUSEBII SCHENCKII,

Med. Doct. Prof. Publ. Promotoris &
Præceptoris sui æternùm honorandi,

*Pro Licentia & Doctoralibus Privilegiis in arte
Medica consequendis,*

Publicæ & placidæ ventilationi submittit

JOHANNES MERCKER

Themar-Hennebergius, Franc.

Ad diem ^{31 Jul} 2. Aug. horis consuetis.

J E N Æ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI

Anno 1619.

Pathol. spec.

588,40

Mbipcc 2386



Serenissimi Electoris & reliquorum

Saxon. Julia, Clivia, Montium, Ducum, &c.

in Principatu Hennebergico

Consiliarijs,

Dn. RUDOLPHO à PO-

NICKAV, Toparchæ & Judicii Pro-
vincialis JENÆ Præsidi, &c.

Dn. JACOBO SCHRÖTERO,

J. U. Doct. Cancellario.

Dn. CHILIANO GOLDSTEIN,

Consiliario, &c.

U T E T

Reverendis & Clarissimis Viris,

Dn. M. WOLFGANGO **S**ibidem Superintend. & Ec-
SEBERO, **C**lesiarum, Schleusingæ,

Dn. JOHANNI GÜTH, **M**einingæ, & Sulæ, Pa-

Dn. M. CHRISTOPHO- **P**storibus, Consistorii Ad-
RO SHADIO. **S**essoribus.

Dominis & Patronis suis suspiciendis.

In debita gratitudinis & submissæ observantiæ
signum

D. D. D.

Johannes Mercker, Resp.



Ἐπὶ Θέσῳ

De
PLEURITIDE.

Disputatio inauguralis.

NTER thoracis morbos neque frequentiore neque acutiore esse Pleuritide, vel hinc apparet, quod Hipp. in Comm. de ratione victus, morborum acutorum omnium dietam ad illius amussim persequitur, & Argenterius, Galenum lib. de art. const. imitatus, ejusdem exemplo universam consultandi rationem instituit. Itaque & nos opera precium facturi videbimur, si tam in cognitione, quam curatione hujus affectus sudaverimus.

THESIS I.

Cognoscitur pleuritis absolutè quidem ex propria essentia. determinatè v. prout in hoc vel illo individuo inest; ex signis. Essentia ejus, partim definitione continète Genus, subjectum

A 2 & caus.

& causam, partim *divisione*, quæ differentias complectitur, vestiganda est.

2. *Definitur* πλάξις quod sit inflammatio membranae costas succingentis ab infixo humore, cum dolore punctorio; oborta, 5. de loc. aff. c. 2. 6. aph. Com. 33. & 3. in 6. Epid. Co. 81. Unde Celso ἄρτικως lateris dolor lib. 4. c. 6. *Gallis* la pointe, *Italīs* il mal di punta, *Germanis* das Seitenstechen/appellatur.

3. *Genus* sive forma pleuritidis, Inflammatio est, cujus causa sub tumoribus præter naturam, & quidem calidis, comprehenditur, sive sinceri fuerint, cujusmodi phlegmone atq; erysipelas, sive permixti, ut plurimum tamen inter se, rarius cum œdemate aut scirrho.

4. Excludimus itaque hinc *falsam* & *impropiè dictam* pleuritidem, quæ utut lateris dolore veram mentiat, citra tamen inflammationem invadit, & vel ex flatu aut vapore acri distendente vellicanteve membranam, vel ab humoris crudioris copia, nunc à capite dilabente & intra musculos recepta, nunc ex inferioribus in cavum thoracis spacium, aut in ipsos etiam pulmones irruente & pleuram tendente, oboritur, *juxta Aët. lib. 8. c. ult.*

5. Pars affecta sive subjectum πλάξις est, quæ modo sola, modò unâ cum musculis mesopleuriis interioribus, sive πρῶτον πλάξις sive δευτερον πλάξις affligitur. 5. de l. aff. c. 2.

6. Unde consequens iterum est, nec propriæ nec veræ pleuritidis censu cum contineri dolorem, qui in pleura non fit, sed vel affectis membranis interseptibus & mediastino, vel musculis intercostalibus externis, aliquando diaphragmate, epate, & liene inflammatis, ob pleuram pondere illarum partium deorsum tractam, contingit.

7. Dif-

7. Dissentit hîc celeberrimus *Platerus*, qui locum affectum pulmonem constituens, pleuritidem & peripneumoniam eundem affectum esse contendit, cujus tamen rationibus nondû ita permovemur, ut à recepta hætenus sententia recedendum nobis existimemus.

8. Causa pleuritidis alia ἀμεσ^ς & immediata & conjuncta, alia ἐμμεσ^ς seu mediata, quæ vel interna *ωενηγυμωρη*, vel externa *ωεγκαταεχληνη* constituitur.

9. Conjuncta, quæ ἀμέσως inflammationem facit, humor est fervidus in membranæ substantia infixus, idemque vel quantitate tantum peccans, ut plurimum sanguis, sive sincerus sive cæteris permixtus, non raro etiam bilis, vel qualitate acris, aut omninò putridus & malignus, qui si tenuior est, magis membranam penetrat, si crassior, in musculis potius firmatur.

10. Mediatæ causæ sunt, non tantum illi ipsi humores, sed & quæ eosdem vel generant, vel movent. Generant, & quæ partes cum transmittentes tum recipientes disponunt, & quæ materiam humori generando suppeditant.

11. Transmittentes, sive omnes, adeoq; totum corpus sive singulæ, utpote epar, uterus, hæmorrhoides caput, quæ plethoram nunc universalem, nunc particularem sustinent, disponuntur aut per intemperiem naturæ humoris generandi respondentem, ut plurimum calidam, aut per obstructionem & constipationem meatuum in corporis ambitu factam, cujus causa retineri effluvium necesse est.

12. Recipientes v. quas pleuram præcipuè, tum musculos intercostales diximus, ita demum disponuntur, cum vel attrahunt vel admittunt humorem, quorum illud propter calorem & dolorem, hoc ob aliam

A 3

quam.

quamcunque imbecillitatem, nativam aut ascititiam, ab interna vel externa causa inductam, puta, casu, ictu, percussione, oneris gravioris levatione, contingit.

13. Cæterū *materiam generationi* suppeditant res non naturales; Aër calidus humidus, austrinus, cibi copiosi, *ἔυχυμοι*, vinū liberalius haustum, otium, somnus, suppressa omnis evacuatio, narium, hæmorrhoidum, mensium, alui,

14. *Geniti a. humoris impetum* promovent, augentque fluxionem, aër hyemalis. 3. aph. 33. frigidus, aquilonaris, comprimendo exprimens, itemq; calidus, fundens & liquans, balnea, exercitatio nimia & in-
tēpestiva, venus immodica, usus calidorum ciborum, aromatum, potus aquæ frigidæ copiosus, maximè post sudorem & fatigationem, vinum item potens & vaporosum, & id genus plura.

15. Porro moventur humores affluuntq; ut plurimum *ab Epate* per venæ cavæ ascendens propagines, & quidem per *intercostalem* dictam, si circa costas superiores quatuor; *per ἄζυγον* v. si circa octo inferiores reliquas inflammatio constiterit, non rarò *à capite* per jugulares.

16. Hactenus definitio. Sequitur divisio, quæ varias pleuritidis, quam veram hic describimus, differentias edifferit, desumptas præcipuè *à loco affecto & causa*. Utriusque n. respectu alia *Legitima* est, alia *spuria*. *Illa*, si pleura inflammata sit, à sanguine vel sincero, vel bilioso, quæ si sola afficitur, *exquisitè* legitima, si præterea muscoli mesopleurii, minus *exquisitè* talis censeri potest. Hæc, id est, notha judicatur, cum muscoli intercostales aut tantum, aut potissimè obfidentur, & quidem ab humore pituitoso magis, aut melancholico.

17. Qui-

17. Quibus si aliæ addantur differentiæ à magnitudine, more & motu desumptæ, pleuritis quædam magna & vehemens, quædam mitis & pusilla, quædam benigna quædam maligna, quædam longa, quædam brevis dicenda est, quo de in prognosi.

18. Veniendum itaque ad signa, quæ vel Διαγνωστικά vel παθολογικά. Illa aut morbum, aut locum affectum, aut causam pleuritidis designant. Et quidem morbi sive affectus signa, alia παθογνωμονικά sunt, alia συμφορολογικά.

19. Pathognomonica cum primis in hoc affectu conspicua 12. Meth. c. 7. à Galeno quinque recensentur. 2. de loc. aff. 9. & lib. 5. c. 3. Dolor punctorius ab humore infixo acri & fervido membranam exquisitissimi sensus vellicante. Febris & quidem acuta, ob calorem partis inflammatæ, quæ quia non tantum cordi vicina, sed & affinis pericardio est, ideò calidas fuligines continenter eidem communicat. Tussis ob humoris transudationem irritantis arterias asperas ipsumque pulmonem. Dyspnœa, hoc est, spiratio frequens & parva, aut causa doloris prohibentis motum, aut causa magnitudinis morbi, non tolerantis integram dilatationem, aut denique aucti usus gratia, ob eventationis necessitatem. Denique pulsus durus ob membranæ tensionem & arteriæ duritiem, quæ quia inæqualis est, serratus editur. 4. de caus. puls. c. 8 & 2. de crisib. c. 10.

20. Assidentia seu communia signa sunt, capitis dolor, delirium, sitis, inquietudo, vigiliæ, & similia, quæ sicuti in aliis quoque morbis spectantur, ita affectum hunc intendunt, augmentque.

21. In primis verò signa loco affecto propria attendere oportet. In legitima enim præter ea, quæ superius posita

posita

posita sunt, decubitus in latus sanum gravis, propter
tensam ex appensa tumoris mole membranam, & si
exquisite talis sit, dolor extensus ad jugulum usque, val-
deque pungens, simul & gravativus, quodam modo et-
iam pulsatorius. *In notha* & spuria omnia sunt remis-
siora, praesertim si muscoli intercostales externi affici-
antur. Tum n. tumor ferè circumscriptus, qui pressu
tactuq; exacerbari percipitur, difficilis in latus agrum
decubitus, nulla tussis, nullaque spuratio subest.

22. *Signa caussarum* distinctiva sumuntur *partim*
ab antegressis, utpotè temperamento, ætate, victus ra-
tione, anni tempore, regione & similibus, quatenus a-
lium atque alium humorem redundare significant:
partim ab excretis & expectorato. Sputum n. pallidum
& flavum, *bilem*; rubrum, cruentum, *sanguinem*; spu-
mosum atque album, *pituitam*; nigrum ac fuscum, *a-
tram bilem* significat. 5. de l. aff. c. 2. 6. aph. c. 33. *partim* à
consequentibus. Dolor n. cum punctione tensivus, va-
forum repletio, rubor faciei, pulsus plenus, urina ru-
bra, *sanguinem* sincerum denotant. Permistum enim
& cacochymum, febris vehementior, pulsus durior,
dolor acrior, sitis, amaritudo oris, urina colorata, *si bi-
lis*: dolor v. & febris remissior, propensio in somnum,
pulsus mollis, urina cruda, *si pituita*, & denique dolor
obscurus, siccitas oris & linguæ, pulsus parvus, urina
rubra & obscura, *si melancholia* sanguini permiscea-
tur.

23. Prognostica signa vel sunt *longitudinis &
brevitatis*, vel *salutis & mortis*, vel *modi solutionis*:
Longam aut brevem fore præcognoscimus *quædam* ex
idæa morbi, quatenus quæ biliosa aut sanguinea, bre-
vior est, & instar acutorum aliorum intra 14 diem fini-
itur;

tur: pituitosa & melancholica, longior: *ειδικῶς* v. & accurare magis ex totius morbi temporibus deprehenditur, ita quidem, ut si citò transmittat principium & augmentum, brevem: si tardiùs, longiorem futuram conijciendum sit, *J. aph. Com. 12.*

24. Cæterum noscuntur isthæc ejus tempora *ex coctione aut cruditate eorum quæ expectorantur.* Etenim, quando aut nullum apparet sputum, aut paucum insuper & crudum, *principium* morbi est; si apparet quidem, at crassius paulo ac magis coctum, *augmentum* indicatur, præsertim si, præter symptomata *παθογνωμονικὰ* intensiora, superaccedant etiam alia accidentia, ut sitis, vigiliæ, nausea & cætera id genus *Ἰνφανόμυρα* dicta.

25. Quod si v. sputa copiosa & concocta jam prodeant, facile quæ educantur. *J. de cris. c. 18. τὸν status est,* quem itidem delirio superveniente notari vult Galen. *3. de loc. aff. c. ult.* quod tamen de prima parte status seu fine augmenti inaudiendum.

26. Quæ mortem atque exitium prælagiunt à Gal. lib. de tot. morb. temp. c. 6. uti & ab Hipp. 2. progn. T. 43. & seqq. proponuntur, capiuntur quæ potissimum à sputo vel non apparente, vel livido, nigro, admodum spumoso, foetido, glutinoso, rotundo, albo, bilioso impermixto, excretu difficili: *deinde ex Symptomatis pathognomonicis maximè auctis, præcipuè ex pulsu duro parvo & frequenti. 4. de prælag. ex puls. c. 5. deniq; etiam ex Ἰνφανόμυροις* malignis, delirio, sc. vehementi vigiliis, vomitu, inappetentia & alui fluxu, quem Hipp. 6. aph. 16. lethalem pronunciat, *sive* quod indicium sit, epatis simul cum ipsa pleura inflammati, juxta Gal. in Comm. *sive* quod non prægressis coctionis indiciis, ex-

B cre.

cretionem hujusmodi symptomaticam, proindeque ob virtutis debilitatem, pessimam esse oporteat, Hipp. 3. de morb.

27. Ad modum solutionis quod attinet, solvitur pleuritis tripliciter, *coctione, permutatione & suppuratione*. *Cocta* namque materia, *nunc* paulatim per sputum, *nunc* criticè per sudorem, urinam, alium evacuat. Stante n. coctione, alius moderatè fluens omninò juvat.

28. *Permutatione* solvitur, cum *aut* in phrenitidem 6. in 6. Epid. cont. II. *aut* in peripneumoniam, 7. aph. 12. quod utrumq; pessimum est, transit, *est* & cum in delirium aut soporem migrat, *aliquando* in abscessum, *non raro* in empyema, quo de Hip. 5. aph. 8. & 15.

29. *Cognito* itaq; hoc modo quæ sit natura pleuritidis, quibusq; signis in quocunque individuo se prodatur, recta deinceps ad illius *curationem* Medicus se conferet, quod ita demum ritè facturus est, si medendi methodo instructus, non saltem *agendorum indicationes* eliciat, verum etiam indicatis suam cuique *materiam* sive ex *Chirurgia*, sive *Pharmacia*, sive *Dieta* petitam substernat.

30. *Indicant* à. in pleuritide præcipuè *dolor & morbus*, illiusq; *caussa*. Licet n. dolor symptoma sit, tamen quia rationem habet *τὸ κατὰ τὴν φύσιν*, ideo curationem ad se trahit, vigetque etiam toto morbi decursu, quandoquidem dolore non sedato, neq; revulsio, neq; evacuatio, neque ullum aliquod majorum præsidiorum commodè adhiberi queat.

31. Cæterum *sedant dolorem ἀνώδυνα* propriè dicta, veluti *Fomenta* humida ex decocto malvæ, althææ, chamæmeli, *Litus* ex ol. chamæmel: anethino, amygd. dulc.

dulc. Butyro, aut *Cataplasmata*, additis farina hordei, tritici, adipe gallinæ & similibus. Sicca enim non nisi in spuria & flatulenta conveniunt.

32. Ad *narcotica*, nisi majus periculum ægro creare velimus, veniendum nunquam, neque laudabile, satis hîc *Laudanum Paracelsi* existimamus, quod recentiores hoc loco imprudenter laudant, nisi fortè præstet *sulphur dulce narcoticum* ex vitriolo, juxta *Quercet. in Diætet. p. 502.* quod tamen apud neminem vidit *Crollius* in *Basil. p. 223.*

33. *Indicatio à morbo sumpta*, quâ morbus, hoc est, tumor inflammatorius, *αἰχμησ* est, ideoque *causæ* potius tam *conjunctæ*, quæ illum facit, quàm *antecedenti*, quæ illum fovet, insistendum; & huic quidem prius, illi posterior. *Antecedens* itaque cum sit humor, præsertim a, sanguis sive purus, sive impurus, cum aliqua *cacoehymia* nota, biliosus, pituitosus, melancholicus, isq; non tantum copia peccet, verum etiam motu, ideo non *simplicem tantû evacuationẽ* indicat, sed aut *revulsoriam*, aut *derivatoriam*. Utriusq; auxilii materia partim *venæ sectio* est, & *purgatio*, partim *exudatio* seu *Ἀφύρσις*.

34. Ad *venæ sectionem* quod attinet, ea in omni pleuritide legitima suscipienda, si vires permiserint: & secunda quidem, aut *cubiti vena* in latere opposito, si ingens sit plethora & affluxus præcipitis initium; aut *pedis è directo*, si menses insuper suppressi, aut hæmorrhoides, plenitudini occasionem dederint: ita enim potentius revellemus. Sin ex parte jam fluxerit humor, neque magna sit plethora, *cubiti venam in affecto latere* tundimus, quod hac ratione non tantum derivare, sed & ex affecta particula vacuare aliquid commodè liceat, 4, acut. T. 73.

35. Mittendus a. sanguis, pro majore minoreve
redundantia, copiosior parcior, idque habita cum pri-
mis virium ratione, non respiciendo ad dierum nume-
rum, monente Gal. 9. meth. c. 5. & 4. acut, Com. 76. ex-
emplo Hip. in historia Anaxionis. 3. in 3. Epid. T. 81. ne-
que etiam ad diei horam. Nunquam non n. cum res ur-
get, integrum id erit.

36. Viribus tamen infirmioribus, aut aliam ob
causam impedita. V. sectione, id quod in prægnanti-
bus, præsertim si quartum mensem excesserint, fieri po-
test, aut *cucurbitula* scarificata, nunc femoribus, nunc
brachiis, prout vel revellere vel derivare evacuareque
consilium est, aut *hirudines* iis ipsis locis, aut ani venis
applicandæ. In quem usum frictiones etiam & vincula
extremis injecta partibus facient.

37. Verum enim verò quia humor inflamma-
tionem faciens, ut plurimum, aut saltem modo aliquo
κακόχυμ est, qui expurgationem indicat, ane *ἰω-
ναίριον* per expurgans medicamentum uti liceat, non
injuria dubitatur?

38. Equidem *Hipp.* 2. acut. T. 11. dolore descen-
dente ad hypochondrium, & quidem sub diaphragma-
te aut thorace existente, 4. acut. T. 76. pharmacum ex
veratro & peplio propinat, nec tamen ante diem quar-
tum, ubi prius alvum clysteribus præmollierit.

39. At *Galen.* in d. Comm. Usus purgantium,
in univèrsum, maximè a. valentiorum, non immeritò
suspectum habet, *tùm* quod ob laborantis naturam, quæ
aliquando Medico perspecta esse non potest, ultrâ li-
neam abire facilimum sit: *tùm* propter alias causas,
quæ 4. acut, Com 22 recensentur: *tùm* quod Hip. aliàs
etiam in acutis morbis, qualis est pleuritis, rarò pur-
gandum esse præcipiat. 1. aph. Com 22. 40. Exi-

40. Existimamus tamen distinctione litem hanc dirimendam, ut in pleuritide legitima solventi pharmaco nunquam: In spuria v. tum loci, tum causæ ratione, qualis est valdè pituitosa, siquidem in ea dolor descendat & intestina murmurent, omninò, licet non minùs consideratè, etiam post quartum diem, 4. acut. Comm. 76. locus relinquatur.

41. Interim in legitima, qualem hìc tractamus, à clementioribus illis, Cassia Manna, Rhabarb. Syr. viol. Sol. & similibus, post venæ sectionem, quàm nunquam omittendam censet Gal. nisi forte in parva admodum, & mitiore pleuritide sputo cruento statim procedente. 3. in 6. Epid T. ult. non abhorremus, aut eorum loco clysterem imponimus, id quod ante venæ sectionem catholicum esse debet, nisi fortè statim etiam à sectâ illâ id agere lubeat, exemplo Hip. 4. acut. T. 75. 1

42. Quanquam si locum haberet Clariss. H. Augeny interpretatio, dolorè pleuriticum ὀδυάλω τῶ πλωρῶν pro Hypochondrii dolore, qualis & colicus est, accipientis, expedita foret harum sententiarum conciliatio.

43. Ad Διαφύεσην quod attinet, perficitur illa usu τῶν ἰδρωτικῶν, quæ non tantum materiam antecedentem, sed & conjunctam aliquo modo in sudorem resolvunt, quod tamen non nisi intenui locum habere putandum; ita enim præterquam quod evacuatur, simul etiam per universum corporis habitum derivatur: faciuntque in hunc usum Aq. Card. utriusque, Mariani & Bened cum seminis eorundem pulpa: aq. item Chamamel: & prunorum Sylvestriū ex Trago, cornu cervi, terra sigill. dens apri, cinis priapi tauri, maxillæ lucii piscis, percarum lapides, & id genus: Crollius Spir.

B 3

Nitr.

Nitr. & Tartari commendat in Basil. p. 158. ubi à calidioribus causa febris semper abstinendum.

44. Sequitur *causæ conjunctæ indicatio*, quæ præcipua est, & humoris in pleura ac thorace infixi evacuatione *ιδίως* insinuat. Evacuatur is vel *sensibiliter*, per sputum, si sit crassusq; vel *insensibiliter*, per evaporationem

45. *Per sputum* quæ evacuant, expectorantia vulgò dicuntur, quæ variant pro natura humoris, & vel *devorantur* vel *lambuntur*.

46. In iis quæ *devorantur* bibunturq; commendatur ol. sem. lini, itemque amygd. dulc. Sunt qui addunt succum altheæ. Hæc enim singula, præterquam quod dilatant & concoquunt etiam dolorem leniunt. *Alij* pomum apium excavatum, affuso oleo amygdal. impositoque saccharo cum momento thuris albi, sub cineribus coctum, manè & vesperi comedendum præbent.

46. *Quæ lambuntur*, in humore tenui & bilioso fervido, sunt, syr. viol. de iuiub. de papav. rhæad. aut diacod. simplex: In *pituitoso* syr. de tussilag. de glycyrrhiza: In *melancholico* is qui de pomis & de succo altheæ: In *Crasso & lento*, conveniunt oxymel. si syr. de hyssop. & similia: Quorum loco etiam rotulæ & linctus varii, addito saccharo penidiato, amylo & pulveribus bechicis, pro Medici judicio formari possunt: recentiores *Looch. dialtb. & passulat. Quercet. cū flor. sulph. factum: itemq; Balsamum sulphuris* therebinthinatum commendant.

47. Cæterum *per evaporationem* idem, præstant, quæcunque dictam materiam *ἀναϊοθήτως καὶ κατ' ἀδελον* *Ἀγπρωλὼ* in vaporem sensim resolvunt, suntque vel *Interna* vel *Externa*.

48. *Extrinsè* id possunt, *Fotus* ex decocto chamemeli,

chamæli, meliloti: sem. sin. fœnu græc. anethi, Hyssopi Orig. di-
ctamni in lacte vel oleo, nunc in spongia, nunc in vesica adhi-
biti: *Litus* ex oleo chamæli: anethino, rutaceo: *Unguenta*, pe-
torale. *Dialthæa*; *Cataplasmata* ex herbis supra dictis cum olei
demenso delibutis, quibus & pulvères Cymini inspergi pos-
sunt. *Aëtius* utitur Emplastris calidioribus, quæ non nisi febre
remittente conveniunt, aut si evacuatio nulla alia ratione &
modo promoveri possit.

49. *Intrinsecè* valent pleraque ex iis quæ supra in dia-
phor. proposita sunt, præsertim quæ à proprietate id agere
creduntur, possuntque cum iis permisceri, quæ lambendo ac-
cipiuntur.


50. Reliqua est *causarum externarum indicatio*, quæ hu-
morem seu causam antecedentem vel adhuc fovent, materiam
subministrando, vel movent. Atque hæ omnes mutationem sui
in contrariam conditionem indicant, quod optimæ Diætæ fit
legibus, circa usum rerum non naturalium instituendæ.

51. Itaque *aër* sit temperatus ad calidum potius ver-
gens. Frigidus enim dolorem auget atque expectoratum co-
hibet 5. aph. Com 20. *Somnus & vigilia mediocris: Aluus* servetur
lubrica. A corporis & animi motu temperandum.

52. De *victus* utendi forma & quantitate, hoc est, tenui
crasso aut mediocri, itemque multo & paucio, quis quando &
quo morbi tempore exhibendus. Hipp. lib. 1 & 2. acut. exemplo
hujus affectus, in genere v. 1. sect. aphor. accuratè docuit. Ad
modum *substantia* quod attinet, conveniunt cū primis *ρoφήματα*,
in quibus est Hippocrati & veteribus tantoperè commenda-
tus *ptisane succus*, nunc per se, nunc cum melle aut saccharo pa-
ratus. In potu itidem aq hord. nunc simplex nunc cum radic.
glycyrrh passulis & modico cinnam: facta.

53. Et hæc hæctenus: placet n. circa victus rationem pau-
cissimis agere *καὶ παχυλῶς*, quod si accuratè persequi velle-
mus omnia, non theses edere, sed commentaria
scribere oportebat.

Pro-





Problemata.

I.

*Utrum vomitoria, & in primis Aq. bened.
Rul. ex infus. Antim. in verà pleuriti-
de conveniat? N.*

II.

*Utrum pus empycorum, per urinas expur-
gatum, sinistrum cordis ventriculum
transeat? Aff. ex Gal. 6. d. loc. aff. c. 4.*

III.

*Utrum in statu pleuritidis victus tenuissi-
mo, instar aliorum acutorum v. aph. 8.
utendum? N.*

F I N I S.

